

Q. D. B. V.

DISSESSATIO PHILOSOPHICA,

DE

MORALITATE
NISUS

AD

IMMORTALE NOMEN,

QUAM,

CONS. AMPL. FAC. PHIL. IN REG. ACAD. ABOENS.

AUCTOR

JOHANNES CAROLUS
NYCOPENSIUS,

PHILOS. MAG.

RESPONDENTE

ESAIA FELLMAN

OSTRO-BOTNIENSI,

PUBLICÆ DISQUITIONI MODESTE SUBJICIT,

IN AUDIT. MAJ. DIE XVII APRIL MDCCCLXIV.

H. A. M. C.

ABOE, Impressit Ioh. CHRISTOPH. FÄENCKELL,

VIRO PLUR. REVERENDO ATQUE PRÆCLARISSIMO

D.NO NICOLAO
FELLMAN,

VICE-PASTORI & SACELLANO in Kemiträjk Meritissimo,
PARENTI OPTIMO, CARISSIMO.

Tot tantaque, *Parens Optime*, prostant Tui in me Pater-
ni amoris indicia, ut si eadem silentio involverem,
vel saltem hac occasione, publice non prædicarem, omnium
& essem & iuste haberer ingratissimus. Tu etenim, *Parens*
Carissime, infantia meæ, non solum curam egisti sollicitam,
verum & me ad hanc Musarum sedem misisti, quo,
& in præclaris artibus & bonis proficiendi moribus, opti-
mam haberem ansam, Tu denique *Parens Indulgentissime*, ab
eo, quo mihi licuit tempore, hoc frequentare Museum, o-
mnium rerum, quæ ad bene beateque vivendum fuere neces-
saria, abundantiam & copiam suppeditasti, adeo ut nihil
amplius vel votis expetere potuerim. Verum enimvero,
haud me mediocriter afficit, quod, Tuis recensendis Bene-
ficiis, ne dicam, digne prædicandis, omnino impar sim, quod-
ve eo, quo vellem verborum apparatus, publice meam indi-
care non possim Pietatem. Abs Te tamen, *Parens Carissi-
me*, majorem in modum peso, velis pagellas hasce, quas
Tibi, ut fructus impensarum Tuarum devote offero, tan-
quam mentis gratissimæ indicium, benigne excipere. Quod
superest, votum meum hoc erit semper calidissimum, velit
Benignissimum Numen Te *Parens Indulgentissime*, salvum so-
spitemque diu servare, in Reipublicæ, Ecclesiæ omniumque
eorum, qui Tui sumus, emolumentum, gaudium & solatium.

PARENTIS OPTIMI

Filius obedientissimus
ESAIAS FELLMAN.

PLURIMUM REVER. ATQUE PRÆCLARISSIMO VIRO,

D:NO MATTHIAE
HILDEEN,

VICE-PASTORI & SACELLANO in Kemi dignissimo,
Affini honoratissimo.

PERQUAM REVERENDO atque PRÆCLARISSIMO

D:NO MAG. ZACHARIAE
CAJANER,

Affini quovis honore prosequendo.

Dum amorem illum singularem, quo me, Affines Carissimi, nullo non tempore, complexi estis, ^{meum re-}puto, non possum non præsentem arripere occasionem, quantum in aere sum Vestræ, publice testificandi. Ignoscatis itaque, Affines Carissimi, quod *Nomina Vestræ honoratissima*, huic Dissertationi, quam mihi defendendam suscepisti, præfigere ausus sim; & serena accipiatis fronte, humillime rogo, munuscum hoc chartaceum, quod *Vobis*, Affines Carissimi, in gratissimi animi tesseram, dicatum volo. De cetero, *DE-
UM Ter Optimum Maximum*, pro Vestræ Vestrorumque omni-
nigena felicitate, calidissimis solicitare precibus, nunquam desistam. Quoad vixero, ero

NOMINUM VESTRORUM

Cultor observantissimus
ESAJAS FELLMAN.

NIHIL MUNUS SEPARAT. VIDE ETICCI RICISSIMO ALIO.

CELIUS.
Quod quidem ni ita se haberet, ut ani-
mi immortales essent, haud optimi cujusque
animus maxime ad immortalitatis gloriam
niteretur.

CICERO.

MONUMEN. AESTRORVM

ESSAYS FERDINAND.



§. I.

Naturali quodam instinctu ita omnes
ducimur ad quærendam felicitatem,
quæ in voluptate orta ex boni frui-
tione consistit, ut in maxima, quæ
existit hominum multitudine, nullus facile reperi-
tur, qui commodam eamque diuturnam sibi vitam
non vehementer exoptet. Quum vero de immor-
talitate nemo mortalium sibi gloriari queat, sed u-
nicuique notissimum sit, se tandem excedere debe-
re vita, quam ceu omnium sanctissimam, carissi-
mam & jucundissimam suspicit & veneratur; beatu-
m tamen se fore & satis longævum putat, mo-
do posteritatis memoria retineatur, & nomen e-
jus post fata vivat, siue laude prædicentur illius
facta & merita post mortem. Hinc & Illustriss.
Montesquieu : *Il semble que nous augmentons notre
être, lorsque nous pouvons le porter dans la mémoire
des autres : c'est une nouvelle vie que nous acquérons*

A

¶

¶ qui nous devient aussi preciense que celle que nous avons regue du ciel. Unde facillimo quivis perspicit negotio, instinctui naturæ, quo in sui conservationem & felicitatem feruntur homines, primam suam originem debere desiderium famæ immortalis & gloriae. Illud vero, quemadmodum educatio & inclinationes dominantes haud parum adficiunt; ita nec mirum, idem in diversis hominibus miras subire mutationes. In eo tamen omnes conspirant, quod nemo facile sit, qui non sibi optime cupiat, immo quod pauci, quantumcunque male egerint, de se nihilominus bene existimari nolint. Quamvis autem cura bonæ existimationis & famæ maxime sit commendanda, sedulo tamen, monente Thomasio, cavendum, ne gloriae titillationibus nimis indulgeamus. Experientia enim edocti facti novimus, plerosque proh dolor! mortalium, in expetenda nominis immortalitate, adeo graviter defudare, ut animæ immortalitatis penitus obliti videantur, & proinde debitam eidem impendere curam, susque deque habeant. Quod cum ita sit, operæ pretium duxi, de moralitate nisus ad immortale nomen, paucis agere, mitiorem Tuam L. B. expetens censuram.

§. II.

Antequam ad ipsum propositum progredimur, non ab re esse videtur, verbo tantum, quid per vocabulum nisus, quod in frontispicio harum meditationum habetur, intellectum velimus, indicare, ut

ut eo melius patescat, quis in primis præsentis erit disquisitionis scopus. Sub nomine igitur natus, nobis non venit propensio sive inclinatio illa naturalis, qua homines, per physicam animæ suæ constitutionem, in bonum feruntur. Hicce enim appetitus, cum certum non respiciat bonum, sed omnem de eo reflexivam cognitionem præcedat, physiceque necessarius sit, moralitate prorsus destituitur, & proinde ad nostrum non pertinet institutum. Hinc stricte loquendo dicere non convenit, desiderium gloriæ esse naturale, h. e. naturæ humanæ insitum; nam objectum desiderii, quod naturale audit, est bonum in genere, non vero in specie consideratum. Frustra ergo quis immortale affectaret nomen, nisi id ut sibi gloriosum duceret, & magni æstimaret. Per nisum autem hic intelligimus studium actu se exserens, ad certum quoddam bonum determinatum, & cum reflexiva illius boni cognitione conjunctum. Nisus itaque ad immortale nomen nihil aliud esse potest, quam studium sibi, modo, quo facilime & tutissime fieri potest, posteritatis memoriam comparandi, quam ceu eximum quoddam bonum vel summam gloriam respicit.

§. III.

DEUM creando totum hoc, qua patet universum, manifestationem perfectionum suarum sive gloriæ suæ, ceu finem absolute ultimum intendisse, a multis dudum præclara opera demonstratum

est; unde etjam patet, omnia, quæ hic deprehenduntur, tam sapienter esse ordinata, ut summo huic fini vel immediate vel mediate subserviant. Qvum vero Summus rerum Arbiter, æque sit Bonus ac Sapiens, non potest non pro summa qua pollet bonitate, res e se conditas purissimo complecti amore, & creaturarum in primis rationalium felicitate delectari. Jam autem homines in tantum sunt felices, in quantum DEUM actionibus suis liberis honorant, & illius voluntati convenienter, vitam suam instituunt; & contra in tantum miseri, in quantum gloriam Ejus contemtui habent. Manifestum ergo est, DEUM, quatenus gloriæ suæ est amantissimus, etjam velle, ut propriæ suæ felicitati quam maxime studeant mortales. Hinc ardens illis indidit felicitatis desiderium, quo, ad ejusmodi quærendum bonum, in cuius unione constantem & durabilem percipere possunt voluptatem, efficacissime impelluntur. Verum enimvero omnia bona finita ejus sunt indolis, ut quantocunque possideantur gradu, major tamen semper maneat possibilis copia, ideo manente repræsentatione boni absentis, manet quoque necesse inquietum illius desiderium. Est adeo in bono finito impossibilis ejusmodi perfectio, quæ voluptatem durabilem, & adquiescentiam desiderii gignere potest. In Bonum itaque infinitum, cuius jucundissima possessione, sufficientissime satiari, pasci, & tranquillus reddi potest animus, tendere debent & dirigenda sunt omnia nostra desideria. O! miseri ergo

go mortales, qui voluptatibus, divitiis, & honoribus nimis inhiant, & in illis omnem collocant felicitatem. Hi certe nubem, ut ajunt, pro junone amplectuntur, & eo magis sunt deplorandi, quo certius sit, illos sub ipsa horum bonorum fruitione maxima agitari inquietudine. Absit tamen, ut mortalibus, omnem rerum creatarum usum & a-morem denegemus. Modum & ordinem solum in iisdem diligendis, ut sedulo servent, urgemus. Sic honoribus, vel divitiis, vel alio quocunque finito bono uti debemus, tanquam mediis ad finem illum ultimum promovendum, quem DEUS per creationem intendebat, nempe manifestationem gloriae suæ, & proxime huic subordinatum, felicitatem propriam. Si vero aliquod horum bonorum, quis pro ultimo fine & scopo amoris sui constituerit, non tantum ordinem, quem sanctum servatumque voluit Sapientia Divina, dum eadem bona tanquam media, summo huic subordinavit fini, pervertit, sed & insuper congenito illo felicitatis appetitu turpiter abutitur.

§. IV.

Ad gloriam captandam, turmatim quidem homines currunt, pauci tamen metam contingere valent optatam. Nec mirum, præterquam enim, quod in ipsa gloriae notione plerumque caligent, nec rectam insistunt viam, quæ ad veram perducit gloriam. Hinc fit, ut nominis sui famam, quam ceu summam gloriam suspiciunt, non una eadem-

que ratione sectentur mortales, sed quidam laudabilem virtutis tramitem ingrediuntur, alii præclarar eruditio[n]is, pietatis, fidei, magnanimitatis, vigoris & alacritatis in rebus gerendis, edendo documenta illam sibi parant, quidam iterum per malas artes sub specie honesti, eandem consequi laborant. Nifus itaque ad immortale nomen, prout triplici hac ratione, nempe *virtutibus*, *præclaris factis* & *meritis in rem publicam atque ecclesiam*, vel *malis denique artibus* se exserit, optime considerari & dispisci potest. Singula ergo hæc, breviter & pro modulo virium, nobis jam examinanda veniunt, quo sic patescat, quantum pretii huic studio sit statuendum.

§. V.

Ex naturæ nostræ profundissima corruptione, quæ pravarum cupiditatum, vitiorum, scelerum & flagitorum fœcunda est mater, vana ambitio, haud secus ac e radice surculus nascitur. Qui autem subtili hoc malo atque viro secreto infecti sunt, prout nihil magis in votis habent, quam quomodo aliis imperent, vel saltē ceteris excellentiores & præstantiores videantur, (vid. Buddei *Elem. Phil. Pract.*) immo obsequium, reverentiam, gloriam, laudemque nanciscantur; ita famæ quoque propagandæ, & celebritatis nominis consequendæ desiderio tenentur insatiabili. Quum autem vitiorum laqueis irretiti, laudabiles eminendi vias non curant, hinc varias & in honestas emergendi rationes

nes excogitant. Quidam regna & imperia sua per
fraudes & bella injusta amplificant, varias gentes
sub jugum redigunt, regiones vastant, urbes & vi-
cos incendio delent, eoque ipso sibi nomen immor-
tale parturos putant. Non Alexandri Magni so-
lum, & Julii Cæsaris in historia fit mentio; sed
innumeræ eorum exstant exempla, qui hoc modo
ad immortalitatem ascenderunt. Quidam rursus
pretiosissimis & sumtuosissimis exstruendis specta-
culis, atque splendidissimis condendis ædificiis, po-
steritati memoriam sui ingenerare satagunt. Alii
ingentes per fas & nefas corradendo divitias, ce-
lebres fieri volunt. Alii denique eruditione clari
evadere laborarunt, novas condendo sectas, & no-
vas fingendo artes, disciplinas & dogmata, quæ
vel plane sunt ridicula, vel saltem parum utilitatis
habentia. Nec prætereundum, haud paucos etjam
fuisse, qui per enormia scelera & nefanda vitia,
auram captarunt popularem. Sic Nero flagellum
illud generis humani & sentina vitiorum, quo oc-
casionem sibi pararet, immortalem sui memoriam
posteritati relinquendi, urbi Romæ incendium im-
misit. Testatur hoc ipsum Tacitus in Annalibus
Libr. XV. Cap. 40. his verbis: *Videbaturque Ne-
ro condendæ urbis novæ; & cognomento suo appellan-
dæ gloriam querere; nec non Sulpitius Severus Libr.
II. Sacr. Histor. sed opinio omnium invidiam incendii
in Principem retorquebat, credebaturque Imperator
gloriam innovandæ urbis quæsivisse. Sic Caligula Mon-
strum potius quam homo, aut homo non re sed
nomi-*

nomine, immortalitatis aucupandæ gratia, Majestatem Divinam sibi arrogans, pro Jove salutari voluit, & ad ostendendam potentiam hanc Divinam, in subditos crudelissime sævit; immo populo Romano unum preeatus collum, quod uno abscindere potuisset ictu. Sic Herostratus, cum molestum duceret, per præclara facta ad immortalitatem pervenire, facillimam inveniens rationem, templum Dianæ Ephesinæ incendendi cepit consilium. Sic Pausanias Macedo, quo forte subito clarus evaderet, in ipso patre patriæ, exsecrandum commisit parricidium. Hæc & sexcenta alia ejusdem generis exempla, luculenter ostendunt, nullam fere esse stultitiam, ad quam dilabi non possunt homines, quos immoderata famæ propagandæ cupido vexat. Ut itaque DEO adversum, homini indignum, & societati humanæ perniciosum, ad orcum usque proscribendum est, hoc studium immortalitatis acquirendæ perversum. Et quid aliud præstiterunt, qui ejusmodi malas & dishonestas ingressi sunt, nomen immortale obtinendi rationes, quam ut posteritati splendida tradiderint stultitiae, crudelitatis, & insanæ ambitionis documenta? Quo factum est, ut immortale quidem nomen sint consecuti, sed æternis simul infamia maculis inquinatum! Hoc itaque respectu verissimum est, quod trito fertur proverbio: *bene vixit, qui bene latuit;* vel quod in epistolis ^{et} Menalcas habetur: *är icke det då båstre at lefwa hel okänd för esterwerlden, än at hvar och en skulle spotta på dess graf.* Scio equidem, fa-

Etiam Herorum etiam turpissima, a quibusdam, & præcipue illis, qui horum gesta litteris mandarunt, summis effetti laudibus, & ut præclaras prædicari virtutum specimina; sed præterquam quod quivis facile deprehendat, hos rerum gestarum Scriptores, partium studio raptos fuisse; ab omni quoque rerum æquo æstimatore, qui facta illorum æqua solet pensitare lance, sæpius atro satis depinguntur colore. Sic Alexandri Magni characterem Seneca, & Julii Cæsaris Cicero, quamvis brevi, satis tamen acuto delinearunt penicillo. Hunc adolescentem *venianum* vocat Seneca, cui pro virtute erat felix temeritas; & paulo post eum appellat *a pueritia latronem*, gentiumque *vastatorem*, tam hostium perniciem, quam amicorum, qui summum bonum duceret, terrori esse cunctis mortalibus; oblitus, non ferocissima tantum, sed *ignavissima* quoque animalia timeri ob virus malum, (a Lucano quoque prædo appellatur.) Illius vero characterem tradit Cicero his verbis: *declaravit id modo temeritas Cæsar is, qui omnia jura di vina & humana pervertit, propter eum, quem sibi i pse opinionis errore finxerat, principatum.* Taceo illum, eundem alibi tyrannum vocare, atque fœdissimi & teterimi parricidii patriæ reum pronuntiare.

§. VI.

Rara admodum sunt exempla eorum, qui propter virtutes, immortale nomen obtinuerunt, in primis si cum illorum numero comparentur, qui

ob malas artes immortalem posteritatis memoriam conservarunt. Ratio forte vel hæc erit, quod pauci quoque fuerint, qui veræ & non fucatæ virtuti indefessam navarunt operam, laureæ enim non veniunt dormientibus, nec palmæ otiosis; vel etiam communi fere mortalium sorti est adscribenda; sit enim nescio quomodo, ut pauci aliorum præstantiam & virtutem, & quo ferre possint animo, sed potius limis & invidis eam intueantur oculis. Quoquo modo autem se illud habeat, manet tamen firmum, nullam possessionem, nullam vim auri vel argenti pluris quam virtutem esse aestimandam. Hæc enim efficit, ut homines officia, quæ ipsis jure vel divino vel humano observanda incumbunt, non minus solleite quam libenti observent animo, immo singulari prosequantur dexteritate. Hæc alacrem gignit animum, in periculis laboribusque tam adeundis quam perferendis. Hæc constantiam in secundis, & tolerantiam in adversis parit, adeo ut quævis mala, quæ vel mutare, vel impedire non licet, magno ferre possimus animo, & volentes sequi, quo nos cunque Divina duxerit providentia. Hæc vitia disspellit, malas infringit consuetudines, appetitus moderat, & affectus coërcet. Hæc cultores suos favissima perfundit voluptate, verbo; hæc hominem reddit DEO carum, aliis ter gratum & patriæ utilissimum. Nihil itaque virtute excellentius, nihil homine dignius illius studio indefeso. Quamvis vero nulla sit gens tam fera, nemo omnium tam immanis, cuius mentem non aliqua imbuerit

rit virtutis opinio, naturæ quippe auctor, quædam virtutum semina velut igniculos nobis inferuit; non tamen omnes eandem sibi illius formarunt notio-nem, sed in virtutibus vitiisque æstimandis, mi-rum in modum discrepant, adeo ut pro ratione temporum, locorum & hominum, virtutes sæpiissi-me vitiorum fortiantur nomina, & vicissim. Hinc quod olim gravitas erat Spartæ, teste Holbergio, Athenis ducebatur fastus, quod decus erat Græcis dedecus Ausoniis, quod hic furor & rabies habe-batur, illic pro heroica virtute censebatur. Hinc quoque perversa illa pullulat sententia, qua pluri-mi sibi blandiuntur, virtutibus se esse instructos, statim ac actiones quasdam externe honestas ede-re possunt, etiamsi minus honesto factæ sint pro-posito. Verum enim vero, sicut nulla actio perfecte est bona, nisi & materialiter & formaliter legi con-veniat, h. e. ut non solum normæ debitæ con-gruat, sed & eo animo & fine fuerit facta, quem lex exigit; ita nec omne propositum vel studium actiones legi convenienter componendi, pro vera & perfecta virtute est habendum, sed illud dun-taxat, quod justo determinatum est motivo, & ad legitimum tendit finem, quodve ideo serium & constans existit. Quo vero altius ascendit sol, eo latius spargit radios, quo ergo nobilis est moti-vum, eo & uberiore & puriores excitat virtutes. Cum itaque motivum ex sua ipsius perfectione de-sumtum, infimum teneat honestatis gradum, nul-lamque externam habeat obligandi vim, manife-

stum est virtutem inde ortam, quæ alioquin naturalis audit, nec rectitudinem, quam lex exigit, habere, nec Bono Viro dignam esse. Potest præter ea hæc virtus ab Atheo etiam proficisci, nullam enim involvit cognitionem DEI, nec ad plura erga alios præstanta officia instigat, quam quæ propriæ perfectioni & felicitati conducunt. Qui igitur hac instructus est, patriam amore quidem prosequi potest, sed quatenus ibi felicitatem temporalem commodius quam extra illam obtinet. Adeoque bonus aliquo modo esse potest civis, quamvis non sit vere virtuosus, sive Bonus Vir, sive ejusmodi, quem Galli *l' homme de bien* dicunt. Hic enim non modo se a DEO, qua essentiam & existentiam dependere, sed etiam Eidem ideo summum & illimitatum in se jus competere, certo certius novit. Hinc non pro suo arbitrio, sed ad Summi Conditoris voluntatem, actiones suas liberas instituere laborat. Sicut enim perspectum habet, DEO nihil magis placere, quam quod perfectionibus Ejus congruit; ita & hisce conformiter, actiones suas dirigere satagit, & proinde earum motiva ex illis desumit. Quatenus vero ipsum studium atque conatus est quoque actio, ad liberas actiones referenda, eatenus & illius motivum ex voluntate derivat divina. Jam voluntas divina per rectam rationem homini patefacta, est lex naturæ, atque studium ad hanc legem componendi actiones suas liberas, est virtus. Virtuti itaque studet Vir Bonus non aliam ob rationem, quam quia id exigit volunt-

Iuntas divina, & quia eo ipso sibi injunctum officium absolvit. Quod dum agit, non potest non summa adfici latitia; quo tandem efficitur, ut non minori cum voluptate, quam dexteritate legis praescripto actiones suas attemperare pergit. Hinc non spe proprii commodi, vel metu poenarum, multo minus laudis honorisque assequendi gratia, virtuti dat operam. Quadrat ergo in eum, quod de Catone refert Sallustius: *non vult videri sed esse bonus.* Et ideo praeclare quoque Socrates, teste Cicerone, *hanc viam ad gloriam proximam & quasi compendiariam, dicebat esse, si quis id ageret, ut qualis haberivellet, talis esset.* Tu recte vivis ait Horatius, *si curas esse quod audis.* Et hinc etiam egregie Auctor quidam Danicus: *En som ingen lyft har til at gjøre andre godt uden for at blive betalt, eller roest derfor, er lige saa lidt dygdig mand, som den der ikke lader af at stiele uden af frygt for galgen.* Quamvis autem gloria Boni Viri & veræ virtutis alumni, nullis laudibus crescat, nec ullius vituperatione minuatur, nemo tamen existimet, illum omni famæ bonæque existimationis sensu & cura destitui. Quemadmodum enim *negligere quid de se quisque sentiat,* fatente Cicerone, *non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti;* ita de eo maxime est sollicitus, ut opinionem Boni Viri, & nomen digni reipublicæ membra, luculentissima suæ virtutis, suæ dexteritatis in rebus gerendis, suæ fidei in fungendis muneribus, & suæ magnanimitatis in variis pro patria obeundis periculis, aliisque preferendis

malis, edendo specimina, mereatur & tueatur; quapropter etiam famam, per aliorum calumniam læsam, quantum fieri potest, præsertim virtutis studio, nitori suo restituit. Hinc si acciderit, ut virtutes illius, ipso inscio, laude efferantur & fama dilatentur, pro magno id quidem reputat honore, ut tamen in honestum & ipsi virtuti e diametro repugnans dicit, motivum studii virtutis unice ex fama sumere, h. e. ideo tantum virtutem exercere, ut sibi aliorum laudem & immortalē gloriam conciliet.

§. VII.

His prælibatis, facilis erit solutio Problematis: An salva virtute, studere liceat immortalitati nominis sui? Ad omnem logomachiam evitandam, in quam tandem abeunt pleraque controversiæ, status quæstionis rite formandus erit. Sciendum itaque non esse quæstionem: an immortale nomen propter studium virtutis, quatenus comitatur virtutes, ut umbra corpus, & nobis quasi invitatis sequitur, sit bonum censendum, & lege naturæ approbatum. Quivis enim vel me tacente facile deprehendit, nihil unquam vel laudabilius, vel gloriostius hac famæ immortalitate esse. Hæc namque est vera gloria, hic verus honor, ut claris viris, qui nulla ejus tenentur cupiditate, ob præclaras virtutes & magna merita, laus deferatur & detur. Hinc Cicero, *actum præclare est cum iis, inquit, quorum virtus nec oblivione corum qui sunt, nec retincentia*

centia posteriorum sepulta esse poterit. Nec ulterius
quaeritur: an per virtutes mereri, vel propter eas-
dem exspectare liceat immortalem famam, ut de-
bitum quoddam præmium. Bonus Vir ita semper
se gerit, ut laudem honoremque & in vita & post
mortem mereatur; nunquam vero eum in finem
ut honoretur seu vanam atque sensualem inde per-
cipiat voluptatem, actiones suscipit præclaras. Hinc
proprie loquendo, aliud virtutis suæ præmium
non exspectat, multo minus expetit, quam ipsam
virtutem, quippe quæ sibimet ipsi optima est mer-
ces. Sed si aliorum bonam de se existimationem,
sibi ut præmium quoddam exoptaret, nemo tamen
cogitet, eum immortalitatis aviditate ideo flagrare,
sufficit ei, si a probis tantum, & cordatis cogno-
scantur & adprobentur illius virtutes. Sed id quaे-
ritur: an studio virtutum nomen immortale inten-
dere liceat? Id quod ab agente intenditur, finis
dicitur; esset itaque nominis celebritas, finis hujus
studii. Adeoque eo redit quaestio, ut mentem ple-
nius exprimam: an motivum studii atque excerci-
tii virtutum, ex immortali fama sumere, sive an
pro fine hujus studii, constituere liceat splendidum
immortale nomen? Præcedenti §. demonstratum
jam ivimus, virtutis studium nobiliori motivo, pu-
ta ex voluntate divina desumto determinari, & ad
gloriæ divinæ manifestationem, nostri aliorumque
veram utilitatem tanquam finem tendere debere,
si aliquin debitam perfectionem sive rectitudinem
habeat, & si præclarum posteritatisque memoria
di-

dignum sit censendum. Manifestum itaque est, nisum, etjam hac ratione, nempe virtutum studio, ascendendi ad immortalem gloriam, nec eatenus esse approbandum, quatenus hæc ipsa gloria, pro fine & scopo constituitur actionum nostrarum ultimo, & quatenus pro motivo virtutum habetur unico. Præter ea ridiculum sane foret, & plane non co-hærens, claritatem nominis consequi velle ob virtutes, & tamen iisdem non alio fine studere, quam laudis gloriæque obtainendæ caussa. Nemo enim sibi blandiatur, tam cæcam esse posteritatem, ut illas virtutes præclaras prædicet, quæ ex fôrdo ambitionis fonte promanarunt. Deinde verissimum est, quod statuit Erasmus: *Uti sol, quo magis in alto est, hoc minores facit umbras, quo terræ propinquior hoc majores, puta mane & vesperi; ita virtus quo major est & excelsior, hoc minus videri cupid, minusque se ostentat: contra qui minus ipsa re valent, magis sese dilatant ostentatione.* Si denique gloria virtutem sequitur, fatente Seneca, etjam fugientem, haud secus ac umbra, nos vel invitatos comitatur; frustra ergo erit eandem tam avide sectari, sed satius rationique convenientius, omnem curam omneque studium virtuti unice impendere, nullo gloriæ habito respectu. Hinc Augustinus: *contemne gloriam & eris glriosus.*

§. VIII.

Quod jam de nisu, virtutum studio ad immortalitatem nominis ascendendi, in genere dictum est, de eadem, per præclara facta & merita in Patriam,

triam, obtainenda, quoque valere jure existimaverim.
 Virtutes enim inter, haud infimum tenet locum, a-
 mor in Patriam, qui voluptate absolvitur, quam ex
 felicitate Reipublicæ, cui per pactum subjectionis in-
 nectimur, capimus, & cujus ideo commoda, pro
 viribus, & quavis data occasione, promovere stude-
 mus. Et quemadmodum virtutum exercitio, laudis
 honorisque obtainendi causa, curam impendere, Viro
 Bono & veræ virtutis alumno, indignum esse supra
 ostendimus; ita quoque Bonum Civem, cui salus pu-
 blica suprema est lex, Patriæ bene cupere, solius fa-
 mæ comparandæ gratia, minime decet. Sed quam-
 diu nomen illud honorificum tuebitur, tamdiu, par-
 tim propter obligationem, ex pacto, quo in societa-
 tem consensit Civilem, quove se illius incolumitatem
 propriis anteferre commodis, obstrinxit, ortam, partim
 ex amore, ob plurima & maxima illa commoda at-
 que beneficia, quæ vel antea in se contulit, vel in
 præsentia sibi præstat, vel in posterum quoque pro-
 mittit Patria, prompto & grato animo sua absolvit offi-
 cia, etjam illa, quæ juris sunt imperfecti, adeoque vi
 extorqueri non possunt. Hinc si insignem quandam Ci-
 vitati præstare operam, Bono Civi sit integrum, bene-
 vola id agit mente, non spe lucri, nec ut vanam glori-
 am sive auram populariem inde captet, sed primario
 ut voluntati DEI, (cujus summo & illimitato imperio,
 æqualiter est subjectus, sive in statu Civili, sive extra e-
 undem fuerit constitutus,) quæ omnibus officiis, cujus-
 cunque sint generis, perfectam in jicit obligationem, sa-
 tisfaciat, & ut gratum atque amoris plenum animum

erga Patriam eo ipso declareret. Dum vero Bonus Civis, variis factis ad publicam augendam felicitatem accommodatis, hoc modo animum suum in Patriam benevolum ostendit, non parum omnino lætatur, si grata illa reipublicæ esse animadvertisit, si vero ingrata, conscientia tamen sua nititur; hujusmodi enim motivis determinari debent, & ad hos fines dirigendæ sunt omnes Boni Civis actiones, si alioquin præclara salutari queant facta & merita, adeoque posteritatis encomio dignæ sint judicandæ. Voluntatis Divinæ de industria injeci mentionem, persuafissimum enim mihi est, absque cognitione Numinis, Ejusque cultu, sive neglecta omni religione, nec Bonum dari Civem, nec firmam, constantem & felicem esse posse Rempublicam. Religio quippe fortissimum est vinculum; quod pectora hominum connectit, dissociata reipublicæ membra religat, malisque ejusdem vulneribus medelam adfert. Non equidem me fugit, quosdam fuisse, qui Atheismum reipublicæ minime perniciosum esse defenderunt, inter quos in primis Baelius ingeniosissimus hoc demonstrare conatus est argumentis, simul contendens, Atheos, perditissimis licet imbutos opinibus, honestam tamen transigere posse vitam. Sed hujus aliorumque Atheismi fautorum objectionibus, responsionis loco, opponere placet hæc Buddei verba; (Isag. Hist. Theol. Libr. post. Cap. IV. §. 12) *Tolle DEUM, Tolle Ius Naturæ, obligatio ad obediendum imperantibus, ad leges eorum custodiendas, ad servanda pacta, corruit. Hæc omnis iustitiae, omnis securitatis publicæ fulcra cum impostores illi evertant, iustitiae nibilo secuus, charitatis, omnisque virtutis cultores videri volunt.* Si vero

Bonii

Boni Civis præclara facta & merita in Patriam, ut pigno-
ra & signa grati animi non essent consideranda ut beneficia
tamen conspici & possunt & debent. Jam vero quatenus
beneficium, teste Seneca, non in eo quod sit aut datur consistit, sed
in ipso dantis, aut facientis animo, a quo forma datur rebus; eate-
nus nec omnia Civium merita in Patriam, æque magna sunt ha-
benda vel statim ac edita fuerint, pro præclaris prædicanda;
sed cum demum, quando non ex fastu sive opinione meriti, sed
ex vero & sincero amore in Patriam, promanarunt. Quadrat
ergo, in ejusmodi facta, quod de beneficiis dicit Cicero: Lib.
I: de offic. Ponderandum est, inquit, quo quisq; animo studio, &
benevolentia fecerit. (beneficium) Multi enim faciunt multa teme-
ritate quadam, sine judicio, vel morbo in omnes, vel repentina quo-
dam quasi vento, impetu animi incitati; quaæ beneficia æque magna
non sunt habenda, atque ea, que judicio, considerate, constanterque
delata sunt. Et alibi: Videre etiam licet, plerosq; non tam natura
liberales, quam quadam gloria ductos, ut benefici videantur, facere
multa, que proficiunt ab ostentatione magis, quam a voluntate vide-
antur. Hinc prono, ut loqui amant, fluit alveo, studium rei-
publicæ inserviendi factis meritisque, eum solum in finem susce-
ptis, ut fama obtineatur immortalis, vel plane dishonestum es-
se, vel saltem in sumum habere honestatis gradum, & ideo quoque
nisi ad immortale nomen, hocce studio se exserentem, minime
esse probandum. Unde facillimo quisque perspicit negotio,
nos Celebratatem nominis, ob præclara ejusmodi facta & me-
rita, quaæ non tantum insignem Reipublicæ adferunt utilitatem,
sed præcipue, benefico in Patriam animo sunt præstata, minime
improbare; sed potius eandem haud minimi pretii facere, in
primis quem non cuivis contingat, hanc adire Corinthum. Tan-
tum quoque abest, ut studium æmulationis, virtutis, & amoris
in Patriam hoc modo, vel his adductis argumentis suffocemus,
ut potius omnes, ad verum & constantem, tam virtutis, quam
Patriæ amorem, maxime stimulatos velimus, dum virtuti & fa-
luti

Juti Patriæ , urgēmus studendum esse , non assequendæ gloriæ
 caussa , sed quia id exigit Lex Divina , & vera nostra felicitas
 eo ipso promovetur. Optandum tamen , ut , qui aliis rationibus
 sive motivis , ad virtutem exercendam , & reipublicæ commoda
 promovenda , allici non possunt , illos gloriæ saltem cupido ti-
 tillaret. Testatur enim experientia , non paucos eorum , qui Sa-
 lutem Reipublicæ alias insuper habuere , per præmia honoris &
 gloriæ , eousque perductos fuisse , ut & opes & vitam , horum
 obtainendorum caussa , devovere haud recusarint. Neque ta-
 cendum , Reipublicæ quoque magis conducere , si Cives gloriæ
 sint cupidi , quam si lucri fame regantur , illi enim laurea ple-
 rumque sunt contenti , dum hi vix mille Talentis satiantur. Ap-
 prime ergo huc faciunt verba Auctoris Danici , cuius supra
 jam usi sumus effato : „Men endskjønt de gerninger som
 „foretages alene af ære , lige saa lidt gjør en til en god
 „eller dydig mand , til det som Romerne kaldte *Vir Bonne* ,
 „og som de Franske kalde *l' homme de bien* , som de der fo-
 „retages alene af egennytte eller frygt , saa har dog de för-
 „ste det Fortrin , at det kostet Regeringen mindre at belön-
 „ne med ære ; At folk af den drift kan opofre lige saa me-
 „get som andre af dyd , og meget mere end de som regie-
 „res alene af egennytte og frygt og fölgelig er denne Drift
 „uden at giøre Personen bedre , bedre for det Almindelige ;
 „De veed selv at det er just deri , at det Fortrin bestaaer ,
 „som Monarkier kan have frem for Republiker , naar ære
 „vel uddeles , da en Adelsmand , som ikke havde kierlighed
 „nok til Fæderland , for at giøre det Tieneste omfonst ,
 „tiener for Åre i et Gefantskap , alene for at kunde sige
 „naar han kommer hiem , som man forteller om en Franck
 „Minister : at han havde fadt sine Penge til , for at have den
 „Fornöielse at sige : *Le Roi mon maître.* “ Sed manum de tabula .

SOLI DEO GLORIA.

